

**S. PETRI DAMIANI S. R. E. CARDINALIS,  
DOCTORIS ECCLESIAE,  
OPUSCULUM DECIMUM SEPTIMUM.  
DE CAELIBATU SACERDOTUM.  
AD NICOLAUM SECUNDUM ROMANUM  
PONTIFICEM.**

**ARGUMENTUM.**

**Publicam ecclesiasticorum virorum lasciviam ac petulantem vivendi licentiam comprimendam esse; quantoque nobiliores sunt qui peccant, eo majore animi ardore, ac libertate reprehendendos, exemplo egregio Phinees, fornicarium illum nodum disrumpentis, demonstrat. Quae res adeo cordi Deo fuit, ut inter caetera ob tantam rem bene gestam, collata dona, quae in semet Phinees jure optimo promereri voluerit, sempiterni sacerdotii foedere sit cumulatus. Contra accidere desidiosis rectoribus, et flagitiis subditorum conniventibus, Heli sacerdotis admonet casus. Demum acriter in fornicarios sacerdotes atque episcopos, tum validis argumentis, tum sacrae auctoritate Scripturae invectus, Nicolaum summum pontificem hortatur canonica indictione, ut male peccantes coerceat; ne dum nimium pius indulgensque in alios sit, alienam ipse in se transferat poenam.**

**Domno NICOLAO summo pontifici, PETRUS peccator monachus debitae subjectionis obsequium.**

**Nuper habens cum nonnullis episcopis ex vestrae majestatis auctoritate colloquium, sanctis eorum femoribus volui seras apponere, tentavi genitalibus sacerdotum, ut ita loquar, continentiae fibulas adhibere. Sed quoniam haec est secta, cui ubique contradicitur;**

aliud quidem quodcunque vestrae constitutionis imperium sub spe perficiendi, fidenter indicimus. Hujus autem capituli nudam saltem promissionem tremulis prolatam labiis difficiliter extorquemus. Primo, quia fastigium castitatis attingere se posse desperant: deinde quia synodali se plectendos esse sententia propter luxuriae vitium non formidant. Nostris quippe temporibus genuina quodammodo Romanae Ecclesiae consuetudo servatur, ut de caeteris quidem ecclesiasticae disciplinae studiis examen, prout dignum est, moveat; de clericorum vero libidine propter insultationem saecularium dispensatorie conticescat. Quod certe satis correctione dignum est, ne unde vulgus omne conqueritur, inde potissimum a magistris Ecclesiae in iudicio taceatur. Si enim malum hoc esset occultum, fuerat fortassis utcunque ferendum; sed, ah scelus! omni pudore postposito, pestis haec in tantam prorupit audaciam, ut per ora populi volitent loca scortantium, nomina concubinarum, socerorum quoque vocabula, simul et socrum, fratrum denique, et quorumlibet propinquorum, et ne quid his assertionibus deesse videatur, testimonio sunt discursio nuntiorum, effusio munerum, cachinnantium joca, secreta colloquia; postremo, ubi omnis dubietas tollitur, uteri tumentes, et pueri vagientes. Ergo prae pudore, nescio quomodo supprimatur in synodo, quod publice vociferatur in mundo; ut non modo peccantes, ut dignum est, notentur infamia; sed et hi quoque, qui ultores esse debuerant, videantur in culpa.

## [DE CAELIBATU SACERDOTUM.]

### CAPUT PRIMUM.

**Quod Phines idcirco foedus aeterni meruit sacerdotii, quia in zelum se extulit ultionis.**

Non hic pudor faciem Phinees sacerdotis operuit, qui nimirum coeuntem cum Madianitide Israelitem coram

omni multitudine in locis genitalibus arrepto pugione, transfodit (Num. XXV). Porro autem nos contra divina mandata personarum acceptores, in minoribus quidem sacerdotibus luxuriae inquinamenta persequimur (Deut. X): in episcopis autem, quod nimis absurdum est, per silentii tolerantiam veneramur. Sed ecce hic Phinees divini Spiritus zelo succensus, eum totus pene Israelitarum populus cum filiabus Moab fornicando corrueret, seseque Beelphegor sacrileges caeremoniis initiaret, non in despectos quosque, vel infimos divinae legis propugnator insiluit; sed excellentiores et clariores in populo, quos ad terrendum caeteros trucidaret, elegit; testante Scriptura quae dicit: «Erat, inquit, nomen viri Israelitae, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salai, dux de cognatione, et tribu Simeonis (Num. XXV).» De mulieris quoque nobilitate, si quaeritur, hoc in sequentibus invenitur: «Porro mulier Madianitis, quae pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum (Ibid.).» Sane post digestam fornicationis et dignae ultionis historiam, quid opus fuit S. Moysi, ut genealogiam fornicatoris utriusque contexeret; et alterum ducem, alteram nobilissimi principis filiam fuisse narraret: nisi ut doceret carnales illecebras in eminentibus personis acrius persequendas? Hinc est quod et ipse Dominus, cum omnis Israelitica plebs non dispari crimine teneretur obnoxia, de populo quidem adversus autem solos principes in furorem se dignae animadversionis erexit. Iratus enim ait Moysi: «Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel (Ibid.).» Plane et S. Moyses non ad alios, sed ad iudices Israel ait: «Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor (Ibid.).» Dum ergo Phinees pro communi fornicatione totius multitudinis ulciscenda, in eos potissimum qui duces videbantur, insiliit, principes similiter populi in patibulis suspendi sententia divina praecepit, S. Moyses quoque non quibuslibet infimis, sed

judicibus Israel, ut proximos suos occiderent, pro vindicta fornicationis injunxit. Quid in his omnibus datur intelligi, nisi quia reatus adulterii in personis clarioribus debet durius vindicari? Et qui tales commotus ulciscitur, pacem superni judicis et gratiam non modo sibi, sed et populo absque dubio promeretur. Unde divina vox: «Phinees, inquit, avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem eos in zelo meo (Ibid.).» Ecce audivimus quomodo propter iram Phinees placata est ira Domini super Israel, audiamus etiam nunc qualiter ipse per animi sui commotionem, perpetuam sibi cum Domino statuerit pacem. «Ecce, inquit, do ei pacem foederis mei, et erit tam ipsi, quam semini illius pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel (I Machab. II).» Pacem quippe Dominus illi sui foederis dedit, quia sedata omni carnis molestia, vivere illum usque in finem mundi, in paradisi amoenitate constituit. Ipse siquidem est, nisi fallor, Elias propheta, qui videlicet igneis equis et curru, Eliseo suspiciente, est translatus in coelum (IV Reg. II). Unde me quisquis mentiri autumat; divinae legis interpretem Hieronymum, qui hoc in Hebraicarum quaestionum libro testatur, potius reprehendat. Porro autem et tempore S. David regis hic Phinees superesse, ac sacerdotale officium gerere perspicue reperitur, dicente Scriptura: «Hi sunt, inquit, Coritae super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi, et familiae eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. Phinees autem filius Eleazar, erat dux eorum coram Domino (I Par. IX).» Cui nimirum Phinees nomen est a parentibus inditum, Elias vero agnomen est accidens per eventum. Elias siquidem interpretatur, Deus Dominus, quod ex hac sibi occasione impositum fuisse creditur, quia cum legationis officio fungeretur, missus ab Israelitico populo ad duas semitribus, Ruben videlicet et Gad, et dimidiam tribum Manasse, quae enormis magnitudinis altare

**construxerant, hoc ab eis responsum excusationis accepit: «Fortissimus, inquit, Deus Dominus, ipse novit, si praevaricationis animo hoc altare construximus (Jos. XXII).» Ab his itaque rationem reddentium verbis, Elias nuncupatus asseritur, qui Phinees eatenus dicebatur; ut illorum responsum, hujus videatur esse vocabulum.**

**Notandum autem, quia sicut in chronicis suis solertissimus Beda testatur, ab egressu filiorum Israel ex Aegypto, usque ad Eliae in coeli culmen ascensum, sexcentorum viginti annorum supputari calculus invenitur. Jure ergo qui moechis repentinam intulit necem, annosae vitae sortitus est longitudinem; quique in terris divini zeli est ardore succensus, congruenter est equis igneis elevatus in coelum.**

## **CAPUT II.**

### **Quod Heli ideo periit, quia filiis peccantibus male pius indulisit.**

**At contra, Heli quia filiorum peccata cognovit, sed eos invectione, qua digni erant, acerrima non corripuit, eisdem filiis a Philisthiim in bello peremptis, ipse quoque de sella retrorsum cecidit, fractisque cervicibus exspiravit (I Reg. IV). Quin et arca Domini ab hostibus capta est, et prius quidem quatuor millia, deinde triginta millia virorum sunt, Philisthaeo trucidante, prostrata. Et quidem redarguit, et quidem corripuit: sed lenitate et mansuetudine Patris, non severitate, vel auctoritate pontificis: «Quare, inquit, facitis res hujusmodi quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite, filii mei; non est enim bona fama quam audio (Ibid. II). Audierat enim, Scriptura testante, quia dormiebant cum mulieribus quae observabant ad ostium tabernaculi (Ibid.).» Porro quos inimicos Dei vidit, in perniciem suam filios recognovit: et quos hostili ferire gladio debuit, paternae blanditiae lenitate palpavit. Non sic ille fidelis in domo Domini**

famulus S. Moyses, magister videlicet ingenui Phinees. Stans enim in porta castrorum, ait: «Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi, quibus ait: Haec dicit Dominus Deus Israel: Ponat gladium vir super femur suum; ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum: et occidat unusquisque fratrem, et proximum, et amicum suum (Exod. II)» Caesis itaque viginti tribus millibus hominum, ait Moyses: «Consecratis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio et fratre suo, ut detur vobis benedictio (Ibid.).» Plane sicut benedictione digni sunt, qui culpas corrigunt, ita nihilominus maledictioni obnoxii sunt, qui peccantibus blandiuntur, sicut per prophetam dicitur: «Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine (Hier. XLVIII).» A sanguine quippe gladium suum prohibet, qui se ab inferenda reprobis dignae sententiae anima versione coercet. Facti siquidem culpam habet, qui quod potest, negligit emendare. Unde et praefato Heli vir Dei, qui et Phinees fuisse putatur, ait: «Haec dicit Dominus: Quare calce abjicitis victimam meam, et munera mea quae praecepi ut offerrentur in templo, et magis honorasti filios tuos quam me?» (I Reg. II.) Si ergo Heli propter duos duntaxat filios, quos non ea qua digni erant invectione corripit, cum eis simul, et cum tot hominum multitudine periit; qua arbitramur dignos esse sententia, qui in aula ecclesiastica, et soliis judicantium praesident, et super non ignotis pravorum hominum criminibus tacent? Qui dum dehonestare homines in publico metuunt, ad contumeliam superni judicis divinae legis mandata confundunt: et dum perditis hominibus amittendi honoris officium servant, ipsum ecclesiasticae dignitatis auctorem crudeliter inhonorant. Unde et eidem Heli, qui Deum, suos filios honorando, contempserat, divina vox ait: «Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.» Ubi mox subditur: «Ecce dies veniunt, et praecidam brachium tuum, et brachium domus patris tui (I Reg. II).» Ac si

**aperte dicat: Quia ego per pastoralis officii dignitatem contra inimicos meos brachium tibi fortitudinis contuli, sed tu ad eorum ultionem illud exerere noluisti; jam brachium a te praecidam, id est, vigorem tibi sacerdotalis culminis auferam: ut qui manceps fueras ad pugnandum pro me, jam nec manum habeas ad tuendum te.**

**Ponamus plane, quod Ophni, et Phinees episcopi sint; Heli autem metropolitani vicem teneat: quid ergo deterius quis potest agere, quam si luxuriosis episcopis pareat, cum emendare praevaleat? Praesertim cum praefato Heli Dominus dicat: «Praedixi ei, quod iudicaturus essem domum ejus in aeternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos; idcirco juravi domui Heli, quod non expiatur iniquitas domus ejus victimis et muneribus, usque in aeternum (I Reg. III)» Si ergo victimis et muneribus omnia crimina diluuntur, sola autem falsa in episcopis pietas veniam non meretur, videat qui eorum dijudicare mala dissimulat, quam durae sententiae apud districtum judicem se obnoxium reddat.**

### **CAPUT III.**

#### **Contra sacerdotem luxuriae deditum.**

**Cur, o sacerdos, qui sacrum dare, hoc est sacrificium Deo debes offerre, temetipsum prius maligno spiritui non vereris victimam immolare? Fornicans enim a Christi te membris abscindis, et meretricis corpus efficeris, Apostolo testante, qui ait: «Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur (I Cor. VI).» Et iterum: «Tollam, inquit, membra Christi, et faciam membra meretricis (Ibid.).» Absit. Quid ergo tibi cum corpore Christi, qui per carnis illecebrosae luxuriam membrum factus es Antichristi? «Quae enim conventio lucis ad tenebras, aut quae societas Dei ad Belial?» (II Cor. VI.) Nunquid ignoras, Dei Filium adeo carnis elegisse munditiam, ut ne quidem**

**pu­di­ci­ti­a con­ju­gali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali? Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit mater, Ecclesiae fides est, ut virgo fuerit et is qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutricio virgine tractaretur, et hoc cum adhuc parvulus vagiret in cunis, a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum jam immensus regnat in coelis? Si mundis attingi manibus volebat in praesepio positus, quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam jam in paternae majestatis gloria sublimatus? Plane si pater filiam suam incestuose corrumpit, mox ab Ecclesia projectus excluditur, communione privatur, et vel in carcerem truditur, vel in exilium destinatur. Quanto ergo deterius ipse abjiciendus es, qui cum filia tua non quidem carnali, quod minus est, sed cum spirituali potius perire non metuis? Omnes quippe Ecclesiae tuae filii, tui procul dubio filii sunt. Et certe perspicuum est quia spiritualis generatio major est quam carnalis. Porro cum tu sis vir et sponsus Ecclesiae tuae, quod utique perhibent et annulus desponsationis, et virga commissionis; omnes qui in ea regenerati sunt per baptismatis sacramentum, tibi quoque nihilominus astringuntur necessitudine filiorum. Qui ergo cum spirituali filia tua committis incestum, qua conscientia Dominici corporis audes tractare mysterium? Sed fortassis objicias, quia longe antequam tu culmen sis adeptus episcopi, illa sit nata, vel non in episcopio, sed in aliqua sit plebium baptizata; tanquam tu eorum tantummodo, qui nascituri erant, factus sis pater, et omnis parochia tua non sit Ecclesia tua. Enimvero cum Dominus dicat: «Nolite sanctum dare canibus (Matth. VII),» quod de te iudicium erit, qui corpus tuum, quod utique sanctificatum est per consecrationis accessum, non canibus, sed lupanaribus tradis? Et cum omnes ecclesiasticos ordines in te uno habeas metuenda mole congestos, omnes procul dubio foedas, dum te prostibuli**

permistione commaculas. Polluis itaque in te ostiarium, lectorem, exorcistam, omnesque deinceps sacros ordines, pro quibus omnibus in districto Dei iudicio redditurus es rationem. Ad impositionem manus tuae descendit Spiritus sanctus, et tu eam adhibes genitalibus meretricum. Linguae tuae obsequitur Deus, et tu non vereris obtemperare daemonibus? Porro qui in ecclesiastica cerneris dignitate conspicuus, non te erubescis immergere fornicibus scortatorum? Et qui praedicator constitutus es castitatis, non te pudet servum esse libidinis? Veniet, veniet profecto dies, imo nox, quando libido ista tua vertatur in picem, qua se perpetuus ignis in tuis visceribus inexstinguibiliter nutriat, et medullas tuas, simul et ossa indefectiva conflagratione depascat! Qui enim flamma libidinis aestuas, qua fronte, qua audacia sacris altaribus appropinquas? Ignoras, quia filii Aaron, Nadab videlicet et Abiu, idcirco coelesti sunt igne consumpti, quoniam alienum ignem offerre Domino praesumpserunt? (Levit. X; Num. III.) Altaria quippe Domini non alienum, sed ignem duntaxat divini amoris accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebrae ignibus aestuat, et sacris assistere mysteriis non formidat, illo procul dubio divinae ultionis interim igne consumitur, de quo Scriptura testatur: «Et nunc ignis adversarios consumit (Hebr. X).» Et sicut nunc aestuantis luxuriae flamma decoquitur, ita postmodum nunquam finiendis atrocis gehennae incendiis, necesse est comburatur. Praeterea non expavescis, o infelix episcopo, quia dum in luxuriae voraginem corruis, Nicolaitarum haeresim incurristi? Nicolaus quippe, unus ex his quos Petrus apostolus diacones consecraverat, dogmatizabat clericos cujuslibet ordinis nuptialibus foederandos esse conjugiiis. Quod ergo ille docebat verbis, ad hoc tu in cathedra pestilentiae sedens, multo deterius invitas exemplis. De quo videlicet scelere, angelo Ephesinae Ecclesiae divina vox ait: «Odisti facta Nicolaitarum, quae et ego odi (Apoc. II).» Et cum Apostolus dicat: «Omnis fornicator non

**habet haereditatem in regno Christi et Dei (Ephes. V),» qui in regno Dei, hoc est, in coelo, non habes quamlibet haereditatem, quo pacto in Ecclesia, quae nihilominus regnum Dei est, praelationis obtines dignitatem?**

#### **CAPUT IV.**

#### **Exhortatio ad summum pontificem, ut in episcopos fornicarios canonicum exerat vigorem.**

**Tu autem, domine mi, venerabilis papa, qui Christi vice fungeris, qui summo pastori in apostolica dignitate succedis, noli pestem hanc per ignaviam ad incrementa perducere; noli connivendo, et dissimulando grassanti luxuriae frena laxare. Serpit enim hic morbus ut cancer, et virosa propago ad infinita porrigitur, nisi evangelica falce quod male pullulat amputetur. Absit igitur, ut sanctum cor vestrum segnis Heli torpor emolliat, sed potius ad sceleris ultionem ingenui Phinees zelus accendat. Deponantur ii, qui ecclesiasticae castitatis non verentur foedare munditiam: et dejecti deterreant, quos male stantes ad turpis luxuriae contumeliam provocabant. Ad ultionem igitur se canonicus vigor exerat, et petulantium clericorum mala compescat; quatenus et beatitudini vestrae, quod absit, naevus non obrepat infamiae, et solitus nitor ecclesiasticae resplendeat disciplinae. Vestra quippe clementia non ignorat, quoniam Achab rex Israel, dum regi Assyriorum Benadad inordinata pietate pepercit, divini adversum se furoris sententiam provocavit; cui nimirum vir Dei ait: «Haec dicit Dominus: Quia dimisisti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima eius, et populus tuus pro populo eius (III Reg. XX).» Hic ipse quoque vir Dei cum diceret socio suo: «In sermone Domini percutite me;» nolissetque ille percutere, ait: «Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, et percutiet te leo (Ibid.).» Cumque paululum recessisset ab eo, ut Scriptura testatur, invenit cum leo, atque percussit.**

**Quibus utique sacri eloquii verbis, quid aliud innuitur, quam quia incomposita pietas procul dubio meretur iram Dei, dum non promulgat in reos sub districti juris aequitate censuram? Meritoque debet superni iudicis subire vindictam qui neglexit in subditos exerere disciplinam: illique leoni, qui circuit quaerens quem devoret (I Petr. V), merito traditur, qui ab infligendo poenitentiae vulnere per torporis desidiam cohibetur. Sic igitur ingenuus vester spiritus ad tollendum castitatis opprobrium se ferventer accingat, sic se in ultionem Nicolaitae haeresis strenue ac viriliter erigat, ut juxta sponsonem Phinees, pacem sui foederis vobiscum Deus omnipotens statuatur; imo, sicut Eliam, caesis typice quadringentis quinquaginta sacerdotibus (III Reg. XVIII), coelo vos non equis igneis, sed angelis comitantibus introducat.**

**Sit nomen Domini benedictum.**